

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5511

**Auteur(s) :** Coutances (official)

**Bénéficiaire(s) :** Julien de Zancate, Coutances (chanoine)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1297, 2 juillet

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Pierre le Petit vend en emphythéose à Julien de Zancate, chanoine de Coutances, toutes ses terres de la paroisse de Cambernon, d'une surface totale de dix-neuf vergées, moyennant sept sous tournois de rente par acre.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 323, p. 464-465.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris et audituris, officialis Constanciensis, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod, anno Domini M° CC° nonagesimo septimo, die martis post festum apostolorum Petri et Pauli, in jure constitutus Constanciis coram nobis Petrus dictus le Petit, de Chamberson, spontanne recognovit se in emphitheosim et feodum perpetuum tradidisse viro venerabili et discreto Juliano de Zancato, canonico Constanciensi, omnes terras quas habebat et habere poterat, quacumque ex successione seu causa, in parrochia de Chamberson, per omnia continentes decem et novem virgatas terre vel eocirca ad magnam perticam, videlicet quamlibet acram pro septem solidis tur. annis singulis ab ipso Juliano seu ejus heredibus vel ab eodem causam habentibus dicto Petro ejusque heredibus ad festum sancti Michaelis in Monte Gargano ; habendas, tenendas et jure hereditario possidendas ex nunc decetero predictas terras eidem Juliano ejusque heredibus vel ab eo causam habentibus a dicto Petro et ejus heredibus pro dictis septem solidis tur. solvendis annuatim, ut premititur, pro omnibus redditibus pacifice, libere et quiete, sine reclamacione et impedimento dicti Petri et heredum suorum in contrarium faciendo ; et promisit idem Petrus se et heredes suos dicto Juliano ejusque heredibus et ab eo causam habentibus dictas terras garantizaturum, liberaturum et acquitaturum, et quod solvet pro ipsis terris census, redditus, fesancias, redevancias, et cetera omnia sustenturum decetero pro ipso Juliano ejusque heredibus et causam habentibus ab eodem et quod ipsum Julianum ejusque heredes ac ab eo causam habentes super premissis indempnes penitus observabunt, et quod in dictis terris decetero contra dictos septem solidos annui redditus nichil vendicabunt, petent vel exigent in futurum ; et si forte ipsi Petrus se heredesque ejusdem dicto Juliano et ejus heredibus vel ab eo causam habentibus dictas terras insolidum vel pro parte garantizare non possent, tenentur et tenebuntur totaliter quod deesset perficere et firmire. Ad hoc obligavit se, heredes suos totumque patrimonium suum et hereditatem, quodcumque fuerit, tam quesitam quam querendam, et bona sua omnia, mobilia et immobilia, presencia et futura. Renunciavit super hoc idem Petrus omni exceptioni terrarum non traditarum, promissionis et obligationis non factarum, privilegio crucis et gracia principis indultis ac indulgendis, omni consuetudini fori declinatorii, falsi, doli, mali juris et facti, canonici et civilis deceptioni, condicionis et aliis universis, et recognoverit eciam idem Petrus se dicto canonico, ut premititur, dictas terras cum homagio ipsius canonici tradidisse et se pro dictis terris a dicto canonico homagium recepisse ; promisit

insuper idem Petrus dicto canonico et se obligavit super premissis in ecclesia dicti loci audientiam facturum publice, dum et quando ab ipso canonico super hoc fuerit requisitus ; et tactis sacrosanctis evangeliis juravit idem Petrus quod premissa inviolabiliter observabit, adimplebit et tenebit, nec contra ea veniet ullo modo ; et nos ipsum Petrum presentem, volentem et consencientem ad hoc dicto Juliano condempamus. In cujus rei testimonium, sigillum nostre curie presentibus litteris duximus apponendum. Actum anno et die martis predictis, de consensu parcium coram nobis et consencientium ad premissa.